



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

IV. De Dominio Religiosorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

sunt solum Administratores) non vero loquuntur de ipsorum redditibus: imò horum dominium acquirunt Clerici, sed cum onere superflua in pauperes erogandi, ut supra ostensum.

44. Num autem Clerici de bonis suis testari valeant, com-  
modius dicitur *Tract. seq. Distinct. 3.* agendo de Testamentis, *Quæst. 5.* ubi præsens materia amplius declaratur. An Clerici testari possint, remissive.

# QUÆSTIO IV.

## De Dominio Religiosorum.

45. **C**ONCL. I. Religiosi solemniter professi sunt in particulari penitus incapaces omnis dominij, ac juris rerum temporalium, ita ut nemo eorum quidquam suo nomine, seu tanquam proprium possit tenere. Ita certa, & communis omnium. Patet hoc imprimis ex c. *Cum ad Monasterium de Statu Monachorum*, ibi: *Nec estimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monachorum dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam dare; & alibi. Concordat Concilium Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regularibus, plura circa hoc statuens.*

46. Dicitur, *Religiosi solemniter professi*: quia Novitij retinent dominium bonorum suorum. Quinimò etiam illi, qui in Societate Jesu finito biennio probationis emittunt tria Vota substantialia, sed simplicia solum, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, adhuc retinent dominium bonorum suorum per aliquod tempus à Superioribus præscribendum, quo faciant abdicacionem bonorum suorum; quamvis interim eo dominio licitè uti non possint sine consensu Superiorum, propter Votum simplex Paupertatis: prout patet ex Bulla Gregorij XIII. *Ascendente Domino.* 1584. edita, habeturque tom. 2. Bullarj Romani, *Constit. 89. dicti Pontificis.*

Religiosi solemniter professi sunt incapaces dominij rerum temporalium.

Quid de Novitijs, ac emittentibus Vota simplicia in Societate Jesu?

47. Additur etiam in Conclusionem, *bonorum temporalium*: Habent Religiosi quia jurium, & bonorum spiritualium, possunt Religiosi habere dominium, vel quasi dominium. Unde simplex Religiosus retinet jus honoris, ac famæ suæ, juxta D. Thomam 2. 2. q. 116. art. 7. ad 4. Item jus eligendi, præsentandi, confirmandi, absolvendi, suscipiendi alimenta de bonis communibus Monasterij, ac hujusmodi; adeò, ut etiam possit agere nomine proprio

Habent Religiosi quasi dominium bonorum spiritualium.

prio super hujusmodi juribus in ordine ad spiritualia bona sibi competentibus, casu quo negarentur: nam per Votum Paupertatis Religiosi non renunciant bonis spiritualibus, nec juribus predictis, sed tantum temporalibus, sive bonis exterioribus. Miranda tom. 1. *Manualis Pralat. Quest. 28. art. 1. in fine*, & alij.

Qui Religiosi habent dominium rerum temporalium in communi?

48. CONCL. II. Religiosi professi cujuscunque Ordinis (excepto Ordine FF. Minorum de Observantia, & Capuccinorum) possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut hæc eorundem Congregationes, Monasteria seu Domus, vero dominio possideant. Ita rursus certa, & communis; atque habetur expressum, & novissimè concessum in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Regularibus.*

Dominium istud non est omnino liberum.

49. CONCL. III. Nihilominus Dominium istud Religiosorum in communi, atque Monasteriorum, non est omnino liberum & independens, sicuti est dominium sæcularium. Ita certa, & communis. Ratio est: quia Sæculares possunt libere disponere de rebus suis; dominium verò Religiosorum in communi habet annexum onus, ut non possit Monasterium alienare bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa; nisi ex justa causa, & servatis debitis Juris solemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis (quamvis in Germania, & quibusdam locis remotis, de consuetudine, atque ob locorum distantiam, & difficultatem adeundi Summum Pontificem, sufficiat assensus Episcopi, ut notat Ludov. Engel, *tit. De rebus Ecclesie non alienandis, num. 15.*) Quod si factus fiat, alienatio nulla est & irrita, atque non solum alienans bona Ecclesiastica, sed etiam sic alienata suscipiens, incurrit pœnam excommunicationis, juxta Extravag. *Ambitiosa. tit. De rebus Ecclesie non alienandis.* Cæterum, an Religiosi possint condere Testamentum, vel facere donationem mortis causâ, dicetur infra (c) suo loco. Alia verò melius ex specialibus singulorum Ordinum Regulis, & Constitutionibus patebunt.

(c) Tract. 8. Dist. 3. Quest. 4. n. 38. & seqq.

